



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciones Sive Conceptvs Theologici, De Praecipvis Omnivm Sanctorum Festiuitatibus, ab omnium Sanctorum Festo ad Pascha vsque occurentibus

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1614

In festo S. Stephani. De martyrij dignitate & excellentia disserit. Deinde lapidationis supplicio, quo occubuit S. Stephanus, agit, & de S. Stephani præstantia, qui variis rebus comparatur. De cœlis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54700)

IN FESTO S. STEPHANI
 PROTOMARTYRIS.

*Video caelos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis
 Dei. Actor. 7.*

FIGVRA.

Innocuus Israelita Naboth, cum perfido Regi Achab, quam à maioribus acceperat vineam nolle cedere, impiam Iesabelis astu accusatus & circumuentus, regio tandem edicto lapidibus obrutus fuit, & extinctus. Hodie nouus quidam Israelita, Leuita scilicet Stephanus, ob Ecclesiam, quae vere Iesu Christi Patris nostri caelestis vinea est, defensionem nefarie accusatus, perfidiae Synagogae, quae gentibus dominatur, iussu & imperio ad lapides condemnatur, & condemnatus occubuit. O iudicium iniquum! o cruentum martyrium! o mortem nimis atrocem! caetera, quae ad eandem spectant, scietis, si Spiritus Sancti opem inuocauerimus, ac Deiparam solitis verbis saluauerimus. dicamus igitur omnes vnanimi voce. *Aue Maria.*

Tanti semper à Sanctis olim Patribus, Audito-
 res, in Ecclesiis diuinum illud martyrii priuilegium dignitas.
 habitum est, nihil vt aut excellentius, aut quod
 maioris meriti foret, in Christiana posse religione
 reperiri censuerint. Huius opinionis fuit Angelicus
 Doctor Thomas, qui nimirum Martyrum triumphos, ipsis Confessorum ac Virginum trophaeis & coronis, aliorumque Sanctorum gloriae longe anteponit. Et merito, hoc namque & ipse Redemptor mundi Christus olim confirmauit, dicens, *Ioan. 15.*
*Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam
 suam*

De S. S. tom. 1.

c

suam

suam ponat quis pro amicis suis: hoc porro faciunt gloriosi Christi Martyres, qui ob amorem & honorem Dei, & ad zelum suum demonstrandum, vitam suam prodigunt, gladioq; carnificis exponunt. Sumitur illi omnium Sanctorum maximi ac perfectissimi. Vel dicere forsitan voluit, Charitatem omnium meritorum principium ac fontem esse; & quia illa maior est & amplior, eo & meritum maius & efficacius; quiq; maiorem in hoc mundo charitatem demonstrarunt, maiores quoq; in gloria beatitudine in altero fore. At præclara hæc virtus in martyribus maxime renitet ac splendet. *Martyrem namq; caritatem nemo habet, quam ut animam suam quis ponat pro amicis suis.* Per transennam virtutis notare velim animam hic pro vita capi, ut de illis verbis, *Qui diligit animam suam, perdet eam.* Vnde efficere possumus, nobiles illos athletas, quam charitate primi ac summi sunt in meritis tantum primos esse. quod ita demonstro. Quid enim in mundo haberi queat generosius, nobilius, excellentius, aut meritorium magis, quam vitam sanguinem vltro prodigere? quid maiori in hac vita mercede dignum?

Martyrū
charitas
cæterorū
Sanctorū
charitate
maior.

Matth. 16.

Christus cum in Euangelio de Apostolorum præmio ac mercede ageret, ait, *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem & filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Nihil de illis ais Domine, qui propter gloriam nominis tui vitam propriam relinquunt? quas illis leas, quas coronas, quam mercedem constituit? Nemo dubitet. Si enim tantum præmium daturum se spondit ijs qui vel domum, agrum, uxorem relinqueret, maiora profecto seruauit vitam offerentibus, ut meritum hoc maius est & amplius.

plius, ita quoque merces illius maior & amplior sit oportet.

Cum Abrahæ Deus olim zelum & amorem vidisset, quo vnicum filium Isaac immolare decreverat, tanti eum fecit, tantique meriti censuit, vt dixerit, *Per memetipsum iuravi, quia fecisti hanc rem, & non peperisti vnigenito filio tuo propter me. benedicā tibi, & multiplicabo sementuum sicut stellas cæli.* Si tanti Deus vnicam Patriarchæ huius voluntatem, obedientiamq; fecit, quanti obsecro faciet promptitudinem Martyrum, qui, vt eidē obedirent, amoremq; suum testarentur, seipsum in Sacrificium & holocaustum, obtulêre? de quibus verba illa Psalmographi vsurpare debemus, *Propter te mortificamur tota die, & estimati sumus sicut oves occisionis.*

Gen. 22.

Psal. 43.

Promisit olim Christus amplissimam mercedem ijs qui in nominis illius honorem, vel vnum aquæ frigidæ calicem pauperi darent; Audiamus promissum: *Et quicumq; potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Vnde efficio: si Dominus propter vnum aquæ frigidæ haustum tam amplam se mercedem daturum promisit, ampliorem profecto dabit eis, qui propter amorem & gloriam nominis illius, omnem suum sanguinem effundent, vitamq; crudelissimo Martyrio finient. ecquæ namq; inter aquam & sanguinē inter eleemosynam & vitam comparatio aut similitudo? an non enim plurimum inter se differunt dare frigidam, & calentem effundere in signum amoris sanguinem? Nihil igitur est quod Martyrum meritis æquiparetur, aut quod maiorem à Deo mercedem exigit.

Matth. 10.

Sephora Moyfis vxor, cum, vt Mariti vitā conseruaret, qui Deum negligentia sua ac tergiuersatione

Exod. 4.

Allegoria
in signis.

tione offenderat, filios circumcidisset, ait, *sponsus sanguinum tu mihi es.* quasi dixisset: Iam repleta cunctis di, o marite, quo te affectu prosequerer, filiorum sanguinem in vitæ tuæ defensionem effundens æquum iam igitur est, vt reciproco me amore diligas. Si scæmina his apud maritū verbis ob aliquot sanguinis guttas in circūcisione effusas & prope aliquot doloris aculeos, qui eandem committuntur, vti potuit, quanto maiori eadem ratione revertere apud Deum, verum animarum sponsum, poterunt Martyres, cum propter illius fidem, bonam rem, eiusq; gloriæ defensionem omnem sanguinem effuderint, se ipsos, non doloribus circumcissionis sed crudelibus mortis supplicijs exposuerint. *Sponsus sanguinum tu mihi es.* enim Virgines & Confessores ames, Martyres perfecto maiori te amore & affectu prosequi oportet cum ob honorem & nominis tui gloriam sanguinem profuderint, & venas omnes euacuarint.

Gen. 4.

Initio Geneseos dicitur sanguis Abel in interfecti in cœlum clamare, vt eiusdem etiam clamore excitatus Deus dixerit, *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Primus Martyr Abel, idq; in lege nature; eiusq; sanguinis clamor ab eo tempore designabat, sanguinem Martyrum de terra clamaturū. & quid? generositatem quædam singularem, animum infractum, caritatem admirabilē, patientiam incredibilem, ad hæc merita infinitum quodque omnia merita antecellens.

Matth. 13.
Martyrū
merita pa-
rabola
designantur.

Quod Evangelica parabola manifestum faciam. Agricola cū semen in terram iaceret, aliud dedit secus viam, q; volucres cœli comederunt, aliud in loco saxosa & sterilia, in quibus præ humoris defectu exaruit, aliud inter veprea & dumos quod quidem excrescens exurgere non potuit.

suffocatum est; aliud cecidit in terram bonam & dedit fructum, sed tamen varium, aliud sc. centesimum, aliud sexagesimū, aliud tricesimū. Hęc quidem non nisi parabola est, sed quę veritatē tamen aliquam includat; Ager siquidem ille mundū hunc designat, in quo magnus ille colonus, qui in altis habitat, tot creaturas, de rationabilibus loquor, seminavit; sed omnes in idem solum non ceciderunt: alię enim in latam perditionis, infidelitatis, & idololatrię viam delapsę, à diabolis, terris illis auibus, harpij; rapacibus deuoratae sunt: Videlicet Ethnici & Gentiles. Alię in petram obstinationis, peruicacię; & exaruerunt: Iudęos intelligo. Alię hęresum spinis & errorum vepribus implicatae crescere quidem cępēre, sed tandem ab illis suffocatae excrescere non potuēre. Etiam me tacente intelligetis hic hęreticos designari. Reliquę vero, quę in terram bonam cadunt, ipsi sunt fideles, qui in terra Ecclesię crescentes fructum adferunt vel tricesimum, vt Doctores, vel sexagesimum, vt Virgines, vel centesimum, vt glorioli Martyres, qui plusquam cętera Euangelij & Ecclesię semina & excrescunt & fructum adferunt. Confiteamur igitur nihil cum martyrio, vel merito, vel dignitate conferri posse.

Gentium Doctor Paulus tanti olim Martyrium fecit, vt ceteris id rebus anteferret, qui se Apostolum prius nominare solebat, cū carceris fordes, imo delicias expertus esset, compedes tetigisset, eculeos gustasset, relicto magnifico Apostoli nomine, aliud longe magnificentius assumpsit, victi sc. & captiui, nomen sc. Apostoli Martyris appellationi proponens: *Ego Paulus victus Christi; & Ego victus in Domino*, & in Epistola ad Philemonem ciuem Colossensem, *Paulus victus Iesu Christi*. Imitatus sc. no-

*Eph. 1.
Eph. 4. ad
Philem.*

biles huius mundi, qui cum solito Baronum, Comitum, Marchionum nomine appellari soleant, ducatum aliquem adipiscantur, relictis prioribus nominibus, nomen ab eo mutuuntur: qui eodem modo se Apostolū Christi Iesu, modo vas electionis, modo tubā Euangelicā, alias Doctorem gentium nominare consueuerat, cum in proximo martyrium via esset, ceteros titulos repudiando hunc velut eminentissimū & dignissimū assumpsit.

Dicta sunt hæc, & prædicta, quoniam hoc die Stephani protomartyris solennitatem celebrat Ecclesia, qui cum in mortis articulo esset, lapidibus scilicet ab antiqua & perfida synagoga obrutus oculos in cælum sustulit, & antequam animam redderet, alta voce inclamit, *Video caelos apertos, Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Hæc mihi hæc ex Epistola verba delegi, ad gloriosi huius Martyris præconia decantanda quæ in tria membra distribuiar: primo scilicet de eius Martyrio actus sum, deinde de diuino, quod in tormentis sensum solamine, postremo illius erga inimicos charitatem affectumque demonstrabo, simulque vos exhortabor, illius ut exemplo iniuriarum obliuiscamini. Hæc autem ad B. Stephani gloriam, præconiumque non parum momenti allatura sunt.

Actor. 7.

Quod ad primum igitur spectat, tragici huius cruenti Martyrij historia in Apostolorum Actibus descripta legitur. Surrexerunt scilicet qui de iudea Synagoga quæ appellatur Libertinorum Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum, qui ex Cilicia & Asia, disputantes cum Stephano: cum robore argumentorum illius efficaciam, rationum robori, spirituique qui in illo loquebatur, resistere posse disiderent, indigne ferentes à Diacono ore obturari à verbis venere ad verbera, inque

eius conspirantes summiserunt viros, qui dice-
rent se audiuisse eum dicentem verba blasphemix
in Moyfen & Deum. Ad lapides itaq; condemna-
tus fuit, & faxis impetitus occubuit. *Et eijcientes
eum extra ciuitatem lapidabant.*

Hocceporro supplicij genus, quo nullum apud
Hebræos erat crudelius, ad solos blasphemos ca-
stigandos destinatum erat. Ita namque in Leuiti-
co scriptum legimus, *Qui locutus est ad Moysen di-
cens: Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes,
qui audierunt, manus suas super caput eius & lapidet
eum vnuerfus populus.* Ipsa porro blasphemia, vt
hoc obiter significem, homicidio antepositur,
tanquam peccatum grauius & magis detestan-
dum: de hoc enim solum scriptum est, *Qui percus-
serit & occiderit hominem, morte moriatur.* de illa ve-
ro, *Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moria-
tur, lapidibus opprimat eum omnis multitudo populi.* so-
la ecce mors homicidis intentatur, sed faxeus im-
ber blasphemis.

Leuit. 24.

Blasphemi
olim ad
mortem
lapida-
bantur.

Imo vero idem omnino in hos decretum erat
supplicium, quod in idololatrias. Si mihi autem
credere detrectatis, credite Sacræ scripturæ aperte
id profitenti, *Si quis dederit de semine suo idolo Moloch,*
morte moriatur, populus terræ lapidabit eum. Et quo-
niam idem vtriusque peccati supplicium est, ne-
cessario fateri oportet, eandem vtriusq; malitiam
& peruerfitatem esse: solet enim supplicij grauitas
delicti enormitati vt plurimum respondere. Tan-
ta tamen sæculi nostri nequitia est, nihil vt plateis
blasphemiâ audiatur frequentius; hæc sc. Gallica
eloquentia est, hæc nobiliū & aulicorum schemata
& flores, hæc adolescentium rhetorica. O tempo-
ra, ô mores, ô sæculi labem & dedecus! ô agendi

Leuit. 10.



rationem nihil minus quam Christianum! vbi modo lapides sunt & saxa? vbinam consueta supplicia? cur non obturentur fauces illæ tartaræ blasphemias tam horrendas eructantes & emittentes? sed conglutinemus sermonem aptum, & intra lineam redeamus.

Ios. 7.

Eodem quoque supplicio contumaces olim multos & imperio parere detrectantes à ducibus nostris castigabantur. Hinc Iosue dux in obsequio richuntino, vnum è suis nomine Achan filium Chummi ad lapides condemnauit, quod solus in ducis urbem deprædare ausus fuisset. omnia verò quæ abstulerat igne consumpta sunt.

3. Reg. 12.

Idem etiam supplicium populus iniquis rectorum exactoribus, & harpijs illis regis gazæ erigauit. Hinc Aduram, qui super rationes Regis boam constitutus erat, sed populum tamen exhauriebat & depascebatur, ab vniuerso populo saxi obrutus exspirauit.

Lapidatio crudelissimum in lege Moisaica supplicium.

Ezech. 9.

Nullum quippe apud Hebræos supplicium crudelius, nullumque crudelius: adeo, ut Dominus pœnas, quibus iniquitatem Israel castigaturus erat, recenseret, lapidationem ceteris repositurus: *Iudicabo te iudicijs adulterarum, & effundentium sanguinem, & dabo te in manus eorum, & adducent super te multitudinem, & lapidabunt te lapidibus, & crucidabunt te gladijs suis.*

Hebr. 14.

Quin & Apostolus Paulus cum in Epistola ad Hebræos tormenta ac supplicia enumeraret, quæ Martyres præferabant, lapides inter cætera vult præcipua ac maxime crudelia, recēssit: *Alij vero lacerati sunt, & verbera experti, insuper & vincula & carcere lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt.* Ipse quoque populi dux Moyses hoc in primis exhorruit. cum enim populi seditione turbas in se concitatas videret, magno

magnoq; res suas in discrimine versari cum lacry-
 mis ad Dominum conuersus obsecrauit, hoc vt à se
 supplicium auerteret : timebat enim ne popul^o ef-
 ferafcens lapidibus in se sæuiret, *Quid faciam populo*
huic? adhuc paululum, & lapidabit me; tu igitur me
defende, ac protege, eorumq; furorem mitiga.

Exod. 17.

Cæterum supplicij huius crudelitatem magnitu-
 dinemq; exaggerare volui, q; hoc ipsum & Proto-
 martyr noster Stephanus subjerit, verum tanto a-
 nimo ac constantia, nullum vt ex eo tormentum
 sustinuerit. sed potius omni sentiendi vi priuatus
 fuisse, visus sit, ac saxa in rosas conuersa: *Lapides tor-*
rentis illi dulces fuerunt. Quantoq; magis seuientium
 rabies inualescebat, tâto & illius robur magis cre-
 scebat : quoq; plura tormenta patiebatur, quo &
 maiores ei cœlitus vires subministrabatur. Prædi-
 xerat scilicet de illo, ac de omnibus in genere Mar-
 tyribus Psaltes, *Mirabilis Deus in sanctis suis. Deus Is-*
rael ipse dabit virtutem, & formidinem plebi suæ, vt tor-
mentis infracta & immobilis persistat.

Stephani
 patientia
 admirabi-
 lis.

Psal. 67.

Atq; ideo sacra scriptura fortitudinē, quæ vna è
 Spiritus S. donis est, Martyribus adscribit potius,
 quam cæteris. atq; in primis Apostolus Paulus, qui
 hoc eos nomine compellat, *Martyres fortes, facti*
sunt in bello vitæ huius. Hunc quoq; lectulum Salo-
 monis sexaginta fortes ex fortissimis Israel ambe-
 unt, omnes tenentes gladios, & ad bella fortissima
 Mysterij huius abyssum, qui curiosi⁹ indagare vo-
 luerit, reperi, & ipso in limine per lectulum illum
 & thalamū regium, Ecclesiæ statum designari, per
 fortissimos illos Israel sanctissimos Martyres, qui
 exercitati ad prælia & certaminib. assueti, sangui-
 nē suum pro Ecclesiæ tuitione, pfuderunt, vitamq;
 impendere, quam de eiusdem statione decedere
 maluerunt. Hos Deus velut excubitores consti-
 tuit,

Heb. 11.

Cant. 1.

tuit, arma ijs tradidit, robur & animos submisit, stravit. Iterum hæc ipsa alio loco in Canticis explicata & figurata reperimus.

Cant. 4.

Videre quippelicet, vt illic sponsa turri vnde quaq; communitæ comparatur, quæ edificata cum propugnaculis & munitiõibus, ex qua munitio clypei & umbones dependeant, atq; omnis armatura fortium. Per turrim hanc intelligite Ecclesiam per munitiõem & propugnacula charismata, & dona Spiritus S. per clypeos, fidem, fortitudinem, patientiam constantiam, & animum, quæ sunt fortium id est, martyrum, heroum illorum Ecclesie armatura.

Num. 1.

Israelitis cum Chananæis præliaturis, terrarum promissionis armis paraturis, præcepit Deus fortissimos quosq; ex vniuersa multitudine, ac nobiles totius Israel vt segregarent. Ecce Mandatum, *Tabernaculum summam vniuersa congregationis filiorum Israel, et numerum virorum fortium ex Israel.* Quod olim Moyses in deserto Sinai mandauit, in Ecclesia quoq; sua cotidie vult obseruari. Carnem quippe, mundum, diabolos debellaturus, simulq; regnum cælestis paraturus, Martyres, veluti populi florem & pretiosius agminis generosissimos, eligit.

Ios. 1.

Iosue, qui populi Dei aliquanto etiam temporis conductor fuit, prælium commissurus, fortissimos totius exercitus admonuit, vt cæteros præcedentes ab hoste tuerentur, pro aliorum se salute discrimen offerrent. Vt hoc ipsum proposito adaptè, allegorice omnia capièda sunt. Deus quippe noster Iosue erit, armati illi & Herculei, qui præcedere iubentur, Martyrum imaginem gerent, qui virtute & constantia armati cælitus euocantur, vt Ecclesie totius agmen ducant, prælium auspicientur, inimicorum cornua proterant, inq; fidelium defensionem arma semper velut primipili præferant.

Eius hodierna die euidens exemplum in S. Ste- *Actor. 6.*
phano pleno gratia & fortitudine videre est, qui à
Deo velut cæterorū fortissimus electus primus in
stadium profilit, saxa transgreditur, vitā, sed non
animū, sub glorioso Martyrio amittit. O generose
tantorum futurorum pugilum ductor! ô tot Mar-
tyrū, qui hoc in bello sequi debent, Princeps! ô ge-
nerose Christi athleta, qui hodie mortē explodis,
qui mundi tormenta exsibilas, qui tyrannorū ra-
biem eludis, qui seditioni populari solus resistis, &
victor ne quidquam freudentibus omnib. euadis.

Iam ad oculum videre licet, quod Poeta olim a-
liud agens ait:

Ac veluti magno in populo cum sepe coorta est

Vir. Aene. 6.

Seditio, sauitq; animis ignobile vulgus.

Iamq; faces & saxa volant, furor arma ministrat.

Videmus hic enim populum furem, ad arma
concitatum, videmus innocuo parari insidias, Di-
aconum vinciri, ferro ad palum alligari, lapidibus
obrueri aerem faxis repleri, furorem vultu emicare,
oculos ira scintillare, blasphemias ore nefando e-
geri, à furore quoq; arma subministrari. Hodie
quoq; verum illud Lyrici fuisse comprobatur:

Si fractus illabatur orbis,

Impavidum ferient ruinae.

Quantum n. inimicorum rabies crescit, tantum
quoq; & martyris animus, & generosū illi⁹ pectus.
Et sane cum infractū hunc Martyrem in tormētis,
eiusq; robur nullis tormentis cōcussū conspicio,
rupem aliquam in medio mari constitutā, quæ flu-
ctuum ventorumq; rabiē exhibilet, vel montem A-
tho qui trifulcum fulminis telum irrideat; & vt fi-
guras omittam, columnam quādam ferream, aut
morum æneum, qui nullam oppugnationem per-
horrescat videre videor; verbaque illa Ieremiæ
pro-

pro-

prophetæ identidem vsurpare compellor, *Ego hodie in ciuitatem munitam, & in columnam terram, & in murum æneum super omnem terram: bellabunt uersum te, & non preualebunt, quia ego tecum sum, Dominus.* Stephanus profecto nolter columnam rea est, & murus æneus, quem nulla tormenta uincere, aut frangere potuerunt, sed cuius tormentis creuit & robur, & fortitudo.

Gen. 8.

Arca Noë, ingens illa nauis, per quam tormentis feruat⁹ est, quo magis à procellis exagitabatur, eo etiã ferebatur altius, & Aquilonari rabie magis resistebat, cælo & nubibus inuidiam facturum. Idem de Stephani nostri anima esto iudicium tormentorum namque pelago hodie fluctuans, quanto magis à cruciatibus & persecutionibus impellitur, tanto & melius eadem suffert, tormentis explodens cæloq; quam proxime accedens: in eis namq; portu constitutus exclamat, *Video celos pertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* O gegigium pugilem, ac martyrem vere generosum, qui nullus par reperiatur!

Gen. 28.

Vidit Iacob dormiens scalam, cuius vna extremitas terram, altera cælum tangebatur, per quam Angeli ascendebant & descendebant. O mysterium nimium vera! Heri admirabilis illa scala Incarnationis toti mundo demonstrata fuit, quæ extremitate diuinitatis suæ cælum, & altera humanitatis terram feriebat, per quam magni consilij Angelus Iesus Christus, vt eum Isaias vocat, cælo descendit, vt cum eo vniuersus cælestis exercitus hodie vero Stephanus eandem velut Angelus ascendit, *Intuentes autem omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.*

Isai. 9.

Act. 7.

Exod. 28.

Inter omnia summi apud Iudæos sacerdotis ornamenta & insignia, eminebat ipsum Rationale quo

quo pectus illius muniebatur, cum Sancta Sancto-
 rû ingrederetur, eratq; ex auro mundifsimo, qua-
 tuorq; gemmarum ordines continebat. Vestra mi-
 hi venia liceat Auditores Stephanum nostrû huic **Stephanus**
 Rationali parê dicere, q; Domini nostri Iesu Chri- **compara-**
 sti pectus exornat, ille nimirum Rationale fuit ex **tur Ratio-**
 purifsimo caritatis auro conflatum, & varias vir- **nali Pon-**
 tutum gemmas & lapides complectês. Quot enim **tificio.**
 hodie eum lapides circumdât, quot saxa eum cin-
 gunt! vnde de ipso illud vsurpare liceat, *omnis lapis* **Ezech. 28.**
pretiosus ornamentum tuum, & in medio lapidum igni-
torum ambulasti, caritateq; ardentium, quantum ad
se, sed furore & rabie, quantum ad Iudæos accen-
sorum. O Martyr victorijs turgide, ac trophæis no-
bilis! ô Martyrum omnium Princeps! ô omnium
Ecclesiæ Cæsarum & Alexandrorum primus!

Iacob Patriarcha cum in mortis articulo filijs **Gen. 39.**
 benedicens singulis valediceret, primogenito hæc **Item Ru-**
 verba habuit, *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo* **ben filio**
mea, & principium doloris mei, prior in donis, maior in **Iacob.**
imperio. Equidem omnia hæc de Stephano nostro
iure vsurpem, & vocem cœlitus audire hodie vi-
deor, Stephanus primogenitus meus, tu fortitudo mea, &
principium doloris mei, &c. primogenitus scil. Marty-
 rum, Ecclesiæ fortitudo, & initium persecutionû,
 quas fideles mei passî sunt; tu *prior in donis*, & cha-
 rismatibus. tu namque primus cœlos apertos vi-
 didisti, eris quoq; *maior in imperio*, omnium Marty-
 rum videlicet maximus, summus in gloria, & in
 regno cœlesti primus. Nemini autem exotica, aut
 peregrina hæc expositio videatur. quid enim Ru-
 ben denotat aliud, quâ *videns filium*, quod optime
 Stephano nostro quadrat, qui cœlo aperto Iesum
 filium Dei in gloria conspexit, audiamus, qui ex-
 clamet, *Video cœlos apertos, & filium hominis sedentem*
 à dex-

à dextris virtutis Dei. Deinde ille Martyrum omnium, qui Iesu Christi Patriarcharum omnium regum filij sunt, primogenitus extitit. quinimo afferimus de ipso verbum illud Psalmistæ intelligendum. *Ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ.* Ille quippe primus est, quem in doloroso & amaro Martyrij puerperio peperit, quæ supra Hercules, Cæsares, Alexandros, & Reges vniuersi Duceuexit, ô honor summus & immortalis!

Psal. 88.

Ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ. Ille quippe primus est, quem in doloroso & amaro Martyrij puerperio peperit, quæ supra Hercules, Cæsares, Alexandros, & Reges vniuersi Duceuexit, ô honor summus & immortalis!

1. Paral. 2.

Solent ad summos honores euehi, qui in vrbis licui⁹ excidio, iam ariete muris deiectis, primo periculo se obijciunt. Hinc Ioab, q̄ in excidio Ierolymitano primis vallum conscendisset, totius exercitus Dux à Dauide beneficij memore est decoratus. Ita quoq̄ Stephanus noster in expugnata Ierusalem illius cœlestis, quæ non nisi præliantur capitur, (*nam regnum cœlorum vim patitur, & violenter rapiunt illud*) cum primis periculis se obiecit Christo, iam aditu parato, Martyrum omnium Princeps, Omniumq̄ fidelium primus & datus à summo regum Christo est constitutus.

1. Paral. 2.

Aminadab, Princeps totius trib. Iuda, is inquit qui in recta linea & sexu masculino à Iuda immediate descendit, vt è libris Paralipom. colligere potest cum vt Rabini veteres ex traditione maiorum cum ijs Genebrardus edocent, Israelitarum Aegypto exeuntium primus mare rubrum ingressus esset, & ceteros, qui fluctus metuebant, mariq̄ se committere diffidebant, vt sequerentur, adhortatus esset, omnesque incolumes traduxisset; Domini beneficij huius & constantiæ memor nomen illi immortale reddidit, familiæ eius regnū dedit posteritatiq̄ illius sanctam reddidit. Expressit hoc Psalmigraphus in Psalmo, *In exitu Israel de Aegypto &c. dum ait: facta est Iudæa sanctificatio eius.* Stephanus

Psal. 113.

In exitu Israel de Aegypto &c. dum ait: facta est Iudæa sanctificatio eius. Stephanus

mus, velut nouus quidam Aminadab cum primus in mundi huius, qui velut Ægyptus est, egressu in rubrum Martyrij mare se cōiecisset, post quem innumeræ Martyrum centuriæ ac myriades secutæ sunt, immortale sibi nomen peperit, Deusque memoriam illius ab interitu vindicauit, *In memoria æterna erit iustus*, imo & nomen illi regium tribuit. Stephanus enim Græce aliud non sonat, q̄ corona, ideoque eum, vt omnium Martyrum primum ac Regem voluit haberi, *Excelsum præ regibus terre.*

Cerui fretum aliquod tranaturi, vt Plinius & alij tradunt, quo in insulas desertas deueniant, hac vti solent industria: q̄ cæteris in robore præstare videtur, primus in vada se conijcit, huic mox alter cornuū onus imponit, secūdo tertius, tertio quartus, sic de cæteris, atq; ita primi auxilio & ope mare tranādo ad insulas perueniunt. Quid vetat hanc animalium industriā proposito nostro adaptare? Transuadandum erat procellosum illud Martyrij mare, vt in beatas ac fortunatas insulas ita aditus daretur: & ecce Stephanus, q̄ instar generosi cerui plen^o gratia & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in populo, primus in hunc Oceanum se conijcit, primus suppliciorū tormentorumq; vndas ingreditur, & impetū earum frangit, huic Iacob^o innititur, Iacobo Bartholomæus, huic Petrus & Paulus gloriosi illi Apostoli, atq; ita Stephano agmen ducente & aquarū impetus retundente, omnes Martyrū manipuli rubrū illud mare tranabunt, terramq; beatitudinis tandem obtinebunt. Ita namq; de se ipsis testantur. *Transiimus per ignem* Psal. 96. *& aquam, & eduxisti nos in refrigerium.*

Ipsē deniq; Stephan^o est, q̄ callosum martyrij tramitē facilē reddidit, qui prim^o vastū hunc Oceanū tentauit, q̄ primus iter hoc difficile ingressus est, in Lege naturæ primus Martyr fuit innocuus Abel, *1. Reg. 20.*

1. Reg. 22. in lege Mosis primus Achimelech, quem cum octoginta alijs sacerdotibus vestib. sacris indutus Rex nefarie occidit, inter Prophetas Zacharias inter Apostolos Iacobus in lege Euangelica: atque omnium primus Stephanus mortem oppetit, & propeus ictibus obiecit, tyrannorumq; rabiem eludit.

2. Reg. 23. Laudatur in sacris litteris summopere Banaas filius Ioiadae viri fortissimi, q; nimirum bruta tempore, cum omnis hominem fortitudo & vis solent deficere, ac manus pra; frigore rigere, leviter nihilominus manibus suffocavit. Et est profectus quidam heroicus ac singularis fortitudinis argumentum, tam cruentam belluam profligasse, quibus superasse, idq; hibernis diebus, quibus imbecilliores homines videntur, ac velut viribus detututi. Verum si Israelitae illius fortitudo deprecanda est, Stephani nostri robur maiorem profecto laudem meretur: ecce n. hic alterum Banaas qui in media hyeme, & grauisimae persecutionis tempore, frigidis tyrannidis niuib. omnia cooperientibus, mortem ipsam mori coegit, crudelitatem illam leenam, vel si ita vultis, Satanam Leonem illum ferocissimum suffocavit, adeo ut eum debellarit, & supplicem sibi reddiderit, lapidibus quibus se petebat, obruens. O factum heroicum, ac verum masculum! o facinus Samfone dignissimum. Admiramus ut opere peracto triumphet, ut victoriam cantet, ut plena voce intonet, *video caelos apertos, & Iesum stantem a dextris virtutis Dei.*

Stephanus caelos apertos videt.

Cum martyr itaq; noster palo affixus staret, manus pedesq; vincitus, nudatus, a carnificibus circumvallatus, lapidum imbri perplutus, oculis coelum versus sublatis, & cor sursum erigens, novum quodammodo conspicatus clamare coepit, *video caelos apertos, & Iesum, &c.* Perinde ac si dicere voluisset, sumite animos

animos, mortales, cæli, qui iam à quinq; annorum millibus occlusi fuere, modo patent, ferramenta & repagula ablata sunt, cardines & vectes ferrei remoti, nullusq; amplius ante eorum introitum custos, Cherubin cū flammâ illa romphæa ante Paradisi aditum collocatus abscessit, liber datur aditus. Video namq; ianuas apertas, & Filium hominis, hominem illum morti aliquando adiudicatū, qui tanto tempore iratum Patrem senserat, hominem Verbo vnitum æterno, qui modo Deus est & cælo continetur, ad dexteram virtutis Dei collocatum, ac proinde supra omnes Angelos, Cherubim, ac Seraphim euectum infinitæq; gloriæ consortem. O conceptus admiratione dignissimos!

Iacob lapidi indormiens prodigiosam scalam *Gen. 28.* vidit, angelos quoq; in eadem descendentes & ascendentes, aliasq; visiones singulares. Hic vero Martyrū Patriarcha Stephanus, caput, pectus, totumq; corpus lapidibus habens impeditum, vidit scalam illam admirabilem, quæ ad beatitudinem ducit, quam Christus ipse erexit; videt non Angelos, sed Angelorum Regem Christum, videt cælos apertos, & gloriam quæ nobis destinata est. An non auditis vt inclamet, *Video cælos apertos, &c.*

Alluisse mihi videtur ad visionem quam vidit *Ios. 10.* Iosue, quando in prælio constitutus solē media die stantem & hærentem conspexit, Domino nimirum voci hominis morem gerente. Stephanus enim, velut alter Iosue, medio in certamine positus, & lapidum grandinem expertus, solem iustitiæ in summo cælo stantem videt, eius scilicet virtute constantiaq; in admirationē raptum, ipsos quin etiam cælos aperientem, & omnes spiritus cælestes tam inuicti athletæ robur obstupescant, quod ipse testatus ait, *Video cælos apertos, &c.*

De S S. tom. 1.

d Doctor

Doctor gentiū Paulus cū de tribulationib. quae
 fecū fideles oēs paterentur, ageret, tantopere eadē
 exaggerauit, vt dicere nō erubuerit, Angelos huius
 nesq; iisdē in admirationem raptos fuisse: *scilicet
 lū facti sumus mundo, Angelis & hominibus.* At Sc
 nō modo ab Angelis, aut hominibus, omnibus
 creaturis se in Martyrio vīsum ait, sed ipsum
 Creatorē, Deū ipsum, eius patiētiae spectatorem
 fuisse. *Video Iesum*, inquit, *stantem à dextris virtutis
 Dei*: quam in rem novos conceptus proferamus.

1. Cor. 4.

Stephani
 verborum
 sensus ex-
 ponitur.

Quando igitur eum hunc in modum clamantem
 audio, dixisse eum saltem inuuisse autumo. *Abro-
 pite vitam hanc carnifices, abrumpite, ictus impu-
 minate, saxa duplicate, obruite, sub lapidibus
 sepelite, ossa hanc confringite; vt nimirum
 carceribus mundi huius egressa, cœlum q; non
 patens conspicio, sine vllō obstaculo ingrediamur.
 Rumpite moras, nolite mortem differre, propete-
 re, viam cœlum versus adaperite: quænam illi
 gaudia parata mihi contemplor? non sum contem-
 dixit olim Paulus, *passiones huius temporis ad futuram
 gloriam quæ reuelabitur in cœlis*, quod & Stephanus
 prius verbis illis, *Video calos apertos & Iesum stantem
 à dextris virtutis Dei*, significauit.*

Rom. 8.

Cum lætam hanc vocem percipio, imperis
 ebullientes quosdam vapores animæ gaudio
 mio transuersum actæ audire videor, quæ præde-
 liciarum ac lætitiæ magnitudine exclamet. Erat
 qui longâ ac diuturnâ tempestate per Oceanicæ
 stati ventis & fluctibus huc illucq; agitati, quæ
 primum vt eminus terram aspiciunt, Terra, Te-
 ra, Terra inclamant: (Cuius rei exemplum
 in Troianis dedit) cū enim aliquot annis per mare
 Mediterraneum & Aegeum errassent, multaque
 discrimina adijissent, labores plurimos exantila-

sent, quamprimum vt Italia se in conspectum dedit, Italiam, Italiam in clamare cœperunt: sæpius nomen rei exoptatissimæ repetentes. Inhærent adhuc Poetæ verba, & eorum clamor,

*Italiam Italiam primus conclamat Achates,
Italiam socij leto clamore salutant.*)

Ad eundem modum Stephanus, cum longo tēpore in tormentorum Oceano iactatus, & Martyrij tempestate agitatus esset, eminus terram viuētium conspicatus, alta voce in clamat cælum, cælū, apertum illud eminus video; *Video cælos apertos & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.*

Cum auribus sonus ille insonat, dicere mihi visus est, Quanta, Deus bone, beatitudo mea! & quæ mea gaudia! quanta mea felicitas! qua nimirū video, quod ante me vidit nemo: video per apertas cæli ianuas Angelos, qui me intuentur, & innuunt, vt fortiter hocce supplicium perferam. Video quin etiam Iesum stantē, qui in clamare videtur, Bono animo es Stephane, *per multas tribulationes oportet intrare in Regnū cælorum.* Sume animos athleta, sustine saxa, equidē crucem sustinui; te quidem lapidibus obruunt, me cruci prius affixerunt: tu vides cælos apertos, ego eosdem tenebris coopertos: tu extra Ierusalem exspiras, ego in monte Caluarie animā exhalavi: tu secus pedes adolescentis Sauli Martyrium pateris, ego in medio latronū in crucem actus sum. Erit igitur gloriosum, ducē tuum imitari, eamdem cum illo fortem subire. Quam in rem egregiæ mihi historiæ in mentem veniunt.

Phocion dux Atheniensis cū ab ingrata patriâ ad mortē esset condemnatus, videretq; in carcere alium, Tudippū nomine, simili supplicio adiudicatum, sed qui fortem suam non vsq; adeo fortiter
his eum verbis est consolatus, *Non tibi satis ferret,*
d 2 *est,*

Actor. 24

est Tudippe cum Phocione mori? Iisdem mihi verbis Dominus Iesus Stephanum visus est consolatus cum lapidibus eum obrutum videret: Sume anime Stephane, est tibi non parua futura gloria cum Christo mori, eandem cum Filio Dei fortunam subire & sub faxis sepeliri, vti ille in monte Caluarie cruce exspirauit. Verbis itaque eum & signis effectus solatus: de verbis quidem nullus in scriptura legitur, signa autem manifesta sunt, videt enim caelos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.

Nemo
vmquam
Sanctorum
vidit quae
Stephanus
vidit.

O igitur felix, ac nimium beate Martyr! O ceteris dilecte Deo pugil! nemo enim vmquam sanctorum vidit quae hodie tu vides. Omnes enim vires percurrere visiones, & parem non reperies. Nemo quidem vidit Arcam, Abraham Angelos, Iacob Iam, Moyses rubum, Aaron virgam, Gedeon vellus, Iosue solem stantem, Ieremias virgam vigilantiem, zechiel Seraphinos, Daniel giganteam magnitudinem virum, atque alij alia: at nemo caelos vidit apertos, nisi Stephanus. O donum singulare! O prerogatiua! O priuilegium nouum ac nemini concessum.

1. Cor. 2.

Vbinam modo es Paule? quomodo his non contradicas? dixisti olim, *Nec oculus vidit, nec auris auauit, nec in cor hominis ascendit, quae preparauit Deus gentibus se.* Diaconus tamen Stephanus eadem perfecte intuetur, videt caelos apertos, officinam gloriae & diuitijs refertam, & quidquid beatitudinis nostrae caput ac summum est. O aquila, O lynx, O oculus! qui elementa visu transcendere, planetarum orbis percurrere, & caelum empyreum oculis perstrimari, nobisque in eodem preparata gloria perficitur dicitur namque, *Intendens in caelum vidit gloriam Dei & Filium hominis stantem à dextris virtutis Dei.*

Merito oculos in caelum leuauit, è caelo namque me solatium & auxilium expectandum est.

Dauid Rex in afflictionibus angustijs constitutus *Psal. 121.*
 oculos se cælū versus direxisse ait, *Ad te leuavi oculos* *Psal. 120.*
meos, qui habitas in caelis; item alibi: Leuavi oculos meos
in montes, vnde veniet auxilium mihi. Ipse quoq; Do-
 minus Christus Lazarum resuscitaturus in cœlum
 intendit, quasi auxilium & opem, ad tantū tamq;
 singulare miraculū peragendum, cœlitus implo-
 raturus, *Iesus autem eleuatis sursum oculis dixit.* *Ipsa* *Ioan. 11.*
 quoq; Machabæorum mater, vt minimum natu
 in supplicijs animaret, solareturq; medijs in sup-
 plicijs constitutum, ait, *peto, nate, vt aspicias in cœlum,* *2. Mach. 7.*
ita fiet, vt non timeas carnificem istum.

Et sane verissimum est, solum cœli aspectum,
 solam loci tam amœni contemplationem Therfi-
 tes in Hercules fortissimos commutare posse, ti-
 midos ad tormenta rapere, consolari afflictos, eos-
 que in supplicijs reddere insensibiles. Ipse namque
 Hieronym. Eustochio Romanæ Virgini scribens,
 sola hac eam meditatione verum reperire solatiū
 posse ait, *Egredere de carcere, & presentis laboris tibi an-*
te oculos pinge mercedem, quam nec oculus vidit, nec auris
audiuit: Testis huiusce rei sit Apostolus, qui cum a-
 liquam tantum illius scintillam vidisset, præ gau-
 dio & admiratione raptus exclamauit, *Domine,* *Act. 9.*
quid me vis facere? anne mundum deferere, mortem
subire? Dic igitur num cœlestis gloriæ meditatio
& intuitus magnopere ad animum alicuius con-
firmandum, aut robur suggerendum, conducant!
 Eius rei exemplum in athleta Stephano hodie ma-
 nifestum est: cum enim cœlos apertos vidisset, fe-
 licitatemq; cœlestem iam ex parte gustasset, lapi-
 dum saxorumq; imbrem quasi insensibilis despe-
 xit, & clamauit, *Video cœlos apertos & Iesum stantem à*
dextris virtutis Dei.

Quodnā vestrum hac de re iudiciū Philosophi,
 d 3 quid

quid de hac cœlorū reſeratione dicitis o Theologi? Quomodo verba illa hyperbolice proſata, *cœlos apertos*, capienda ſunt? anne cœli aperiri poſſunt, anne deduci ac reſerari quaſi fores? anne neſtras aut ianuas habent? nequaquam. Nihil enim in cœlos quadrat; ſunt enim corpora impenetrabilia, quæ nec frangi nec aperiri queunt. ad quod Stephanus hic ait, non de verâ quadam ſiſione, aut ſenſibili corporum cœleſtium quaſi ſiſione ſunt & tanquam ænea, a pertione intelligendū. Iob namq; Prophetæ ait, *Solidiſſimi ſunt cœli, & nequam ere fuſi*, quod & ipſa confirmat ratio.

Iob. 37.

Oſtenditur cœlos aperiri nō poſſe.

Vt enim aliquid per ſiſſuram quamdā cœleſtis conſpiciatur, magnā ſane eandem eſſe oportet ne forte viſus deficiat humanus, & ipſum videri poſſit: deinde ſplēdidiffimi & micatiffimi coloris enim obiectū viſus eſt. atq; ita inutilis & fruſtra hæc cœlorum apertio foret, quæ cū cœli diaphana transparentia corpora ſint, res ipſa videretur, ſine vlla rima aut ſiſſura; eo modo quo ſtelle in firmamento affixæ ſunt, ſeptem alijs orbitis interpoſitis & earū aſpectum non impediunt videremus. Adhæc ſi hoc ſe ita haberet, nō ſine miraculo id contingere dicendū eſſet: neceſſarium namq; foret, vel ſpatium interiectum vacuum manere, quod præter communes naturæ leges eſt, quæ a vacuum nimium quantum abhorret: vel elementa ipſa ſuo loco ſuo relicto, præter communem rerum ordinem in altum ſuſtollī, ad vacuum illud replendum.

Ezech. 1.

Apoc. 4.

Matt. 3.

Dicendū eſt igitur apertionem hanc veram non fuiſſe aut realem; deinde cœlos numquam aperti fuiſſe: atq; etiam cum in ſcriptura iſdem aperti dicuntur, (vt apud Ezechielem, *Cœli aperti ſunt, & vidi viſiones*: in Apocalypſi quoq; *Ecce oſtium apertum eſt in cœlo*: item apud Matthæum, in baptiſmo Chriſti.)

fiti Iesu cœli aperti sunt.) id fieri, vel quod simpliciorū se accommodare velit captui : veluti cum dictum est in diluuiō cœli cataractas referatas, vt ita ingentem pluuiam designaret : vel vt hinc manifestum fieret, eos, quos scribitur cœlum apertū vidisse, imaginariam quandam visionē habuisse vel somniantes, vel vigilantes, per quā ipsis cœli aperti videbantur. Quamquā per hanc apertionē splendor quidam præter consuetudinē in aëria regione apprens, imaginationiq; quod reuera in rerū naturā non existat, demonstrans, intelligi etiā queat.

Atq; ita intelligenda est Martyris nostri visio, firmiterq; tenendum, præsertim accedente ratione, cœlos ei minime apertos visos, sed imaginariā tantū eorum apertionem fractionemq; oculis illius fuisse exhibitam : ita namq; illos aëris partes feriebant, vt à se mutuo diuisæ & separatæ viderentur, quod fieri potest, si partes, quæ à se inuicē separatæ videntur densiores & lucidiores fiāt, adeō vt visum sistere & ad se rapere queant, ipse quoq; aër interiectus rareseat. Hoc artificio pictores vtuntur, vt nobis ianuas fenestrasq; demonstrēt, colorē albū & lucidū feruiore aliquā nigredine circa extremitates obscurando. Atq; hunc in modū cœlorū apertionē in Mesię baptismo interpretatur doctissimus Suarez. Sed noua hic difficultas se se offert : neq; n. solos cœlos se apertos, sed gloriam etiā Dei vidisse ait, *Intendens in cœlum vidit gloriam Dei.*

Visio Stephani nō fuit vera visio, sed tantum imaginaria.

Lyranus vir doctissimus, & in expositione difficultatū biblicarum peritissimus, cū in hunc locum incidisset, tres opiniones adfert, quæ omnes visionē hanc Stephani diuersimode exponunt. Sunt enim aliq; qui hanc nonnisi de visione mētali intelligūt; atq; ita Stephanum non modo Dei gloriam sed ipsam quoq; diuinitatem vidisse, vt & Paulus, cum

Tres sententia inter se discrepantes, de eo quod Stephanus viderit gloriam Dei.

d 4 ad

ad tertium cœlum euectus est. Atq; huius opinio-
nis fuit Gregorius Nyffenus oratione de S. Stepha-
no, Augustinus serm. 99. de diuersis: qui ait ipsum
met Deum, quin & SS. Trinitatem à Stephano
fam. Alij hic visionem quandam imaginaria
unt: docent. n. Deum in Stephani imaginatiua
cies quasdã proprias, eiusq; essentiam repræsent
valentes efformasse, vt in multis Prophetis
comprobatur: atq; hos sequitur multę v
nis lectionisq; Tostatus. Sunt deniq; & alij, qui
visionem tantum corpoream intelligi putant, qu
Martyr hic Iesum & hominem tantum vidit, non
quod oculi virtutem aliquam habuerint, quã
sum Christum in cœlo empyreo constitutum
derint, visus sui viuacitate omnes cœlos penetra-
tem: sed exteriorẽ quandam effigiem aut imagi-
nem Christi, oculis eius oblatam, huius in eo
fionis causam fuisse, eo propemodum modo, qu
Angeli à facultatibus sensibilibus videre perhibe-
tur: vt hæc tamen effigies ipsa diuinitas, non
per puram quandam repræsentationem fuerit.

Placet hæc sententia doctissimo Caietano, &
& alij celeberrimi Doctores amplectuntur, vt
riã Dei vidisse non sit, pure & simpliciter Deum
disse, quia vulgarem illã scripturã sententiam
quendo. *Deum nemo vidit vnquam*: sed solum
tatem quandam corpoream, vel splendore
riorem, Dei simul præsentiam includentem, quam
Stephanus per lumen hoc agnoscebat, diuinitatis
p̄sentiam ex repræsentatione speciei colligens. Res-
spondet per omnia opinioni huic Sacra Scriptura
quæ sæpius loco gloriæ Dei accipit aliquid, quod
præstantius & eminentius sit, imo vero vt ingeni-
aliquem splendorem exprimat, gloriam eum Dei
interdum appellare consuevit. Atq; imprimis, vt
id ma-

id manifestum faciam, tertio Regum legitur templum perfectum à gloria Dei impletum esse, item in Exodo de tabernaculo Moïsis, & in Euangelio, *Exod. 40. de splendore illo eximio, qui pastorum oculos in Luc. 2. Iudææ montibus perstrinxit. Confirmat hoc testimonio suo Hieronym. aitq; , Significat & aliud in Lib. 3. c. 5. scripturis diuinis gloria, cum angustius aliquid atq; diuini Epist. ad Galat. nus sepræbet obtutibus. Concludamus igitur, per omnes illas visiones, quib. diuinitas aut Dei gloria visa declaratur, & hanc quam & Stephanum vidisse dicimus, non designari aliud, quam ingentem quendam splendorem in medio aëris apparentem, qui se oculis illius offerret, qui Deum haud procul abesse significaret. Itaq; hæc, *Video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei*, intelligi debere: quod facite, interea ipse ad vltimam orationis partem descendam.*

Generosus ille & infractus Martyr cum spiritum iam extremum duceret, contusus & collisus, totoque corpore laceratus, manus in cælum sustulit, proq; inimicis & tortoribus deprecari cœpit: *Domine Iesu, suscipe spiritum meum, & ne statuas illis hoc peccatum.* Duo à Domino perijt, suam & inimicorum salutem, tamq; hæc quam illa cara ei extitit. O charitas admirabilis, & incredibilis! de inimicorum ecce salute sollicitus est, & propriam negligit. Didicerat id à summo illo doctore, qd ipsum in cruce moriens, à Patre postulauit, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt:* peccatum illorum fautor, ingens est, sed maior eorum ignorantia est, qm malitia, putant quippe se latronem, superbum, vinosum, Pseudopropheta cruci affigere, sed Messiam suum Filium Dei, mundi redemptorē occidunt.

O igitur deest adē inimicitie, o abominanda vindicta! o pestilens ac pernicioſa iniuriarum memoria!

Stephanus pro inimicis suis orauit.

Inuectio in inimicitias & vindictas.

Matth. 5. ria! anne adhuc dominabimini? adhuc in vultu-
tis? Iesus Christus pro inimicis deprecatus est, Ste-
phanus iniuriarum obliuiscitur, & tantane alio-
ius erit audacia & impudentia, qui earum reco-
detur? Filius Dei & Protomartyr, ac Martyrum
Princeps pro inimicis carnificibus supplicans, ut
homines eosdem oderint, & vindictam de ijs
mere desiderent? An non in praxim reduceretur
sententia illa Euangelica, *Ego autem dico vobis, diligite
inimicos vestros?*

Gen. 49. O furores brutales, ô cholerae tartareae, ô odia-
lo exosa, & Diabolo progenita! Hinc Iacob Patri-
archa cum in mortis articulo versaretur, omnes
filios astantes benedictionem paternam praestolans
videret, Simeonem & Leui acriter castigans
dicens: *Simeon & Leui, fratres vasa iniquitatis volu-
ntas, in consilium eorum non veniat anima mea, & in
illorum non sit gloria mea, maledictus furor eorum, qui
pertinax & indignatio eorum, quia dura.* Erant quippe
hi pleni iracundia & cholera, iniuriarumq; illa-
rum obliuisci haud quaquam poterant: fuerat hu-
nimirum, qui Principem Sichimitarum vindice ma-
nu interfecerant, urbem diripuerat, muris demole-
uerant, incolas ferro deleuerant, quod in sororem
eorum Dinam iniuriam extitissent. Quamobrem
ille senex, cum in morte horum reminisceretur, in-
dignans maledixit illis, *maledictus furor eorum, qui
pertinax, &c.* O igitur maledictus furor! ô pertinacia
detestanda! ô iram nimis obduratam! Nolebat
scilicet Patriarcha ille, filij ut vindictam medita-
rentur, deq; iniuriarum ultione cogitarent.

Ipsae quoque Pater coelestis nihil tantopere a suis
postulat, quam ut amicitias colant, concordiam
inter se seruent, pacem & charitatem mutuan, iniu-
riarumq; obliuionem amplectantur. Hinc factum
puto,

puto, quod olim acetabula sibi argentea à Principibus tribuum in dedicatione tabernaculi offerri voluerit. Designabat scilicet hæc figura, tunc cum Deo animam, tabernaculum illud præstantissimum dedicamus, cordis nostri acetabulum eidem offerri debere, vasculum illud amaritudine, cholera, felle, bile, vlciscendi desiderio plenum, ô triste & acre acetum, quam amarum absinthium! Audite, vt hanc à nobis oblationem Deus desideret, *fili, Leuit. 7.*
præbe mihi cor tuum: vt porro demonstraret, acetabuli instar illud esse ait, *mihi vindictam, & ego retribuam,* id est, offer mihi cor tuum, da mihi acetabulum hoc, vindictas illas, iras, indignationes, iniuriarum vltiones, in me transfer furores illos particulares. *Prou. 23.*
Rom. 12.

Inter cæteras quas olim leges Deus stabiliiuit, erat & illa, *Vir siue mulier cum fecerint votum, vt sanctificentur, & se voluerint Domino cõsecrare, à vino & omni quod inebriari potest, abstinebunt, acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, & quidquid de vua exprimitur, non bibent.* non tam acetum, quod in vsu hominum est, lex hæc respicit, quam acetum illud spirituale, id est, choleram, & iram, veram cordis acridinem, qua ebriatur, turbatur, & cuius fumosis vaporibus & acrimonia rationis vsus offuscatur. Designat igitur lex hæc, omnes, qui se cultui diuino micipant, à fumoso illo vino, quod caput opplet vaporibus, & cor vindictæ cupiditate, animasq; inebriat, sibi cauere, & ab aceto illo teterrimo diligentissime abstinere debere. *Num. 6.*

Cur putatis redemptorem nostrum Christum in cruce pendentem, cum in mortis periculo & vite termino cõstitutus esset, acetum sibi offerri voluisse, cum præ suppliciorum acerbitate exhaustus plena voce inlammasset, *Sitio?* Indicare voluit, se salutis nostræ *Matth. 27.*
Mar. 15.
Luc. 23.
Ioan. 19.

nostræ fiti laborantem, & propemodum morti
inq; alterum mundum abeuntem, fel & acetum
est, lites & rixas, vindictæ cupiditatem, vltionis
fitim furores & iras, quæ in mundo erant absum-
re, ac secum deferre voluisse. Quam amara spon-
giæ acetoq; plene sunt, animæ ira ac furore satura-
tæ & perpotatæ! eia agite, Iesu Christo eadem
ferte, delectatur id ipsum bibendo, laborat ad
fiti, refici vult, audite quæso, vt exclamet, *sciri.*

Cant. 4.

Sponsus ille in Canticis sponsæ suæ venustatem
ac pulchritudinem demiratus, inter cætera ac-
culos illius esse ad instar columbarum. Columba
animal mundissimum est, quod felle & cholera
reat: ita anima, quæ per sponsam hanc designatur,
felle & vindictæ appetitu carens, castitatem dili-
gens, merito laudari, & à Deo diligere ac foueri
bet, atq; huiusmodi cum fuerit B. Stephani, huius
singulari Dei priuilegio, merito cælos aperire
det. Vnde manifeste colligi potest, patere cæcos
qui pro inimicis Deum deprecantur, iniurias
admissas in se, facile remittunt. Audite namque
clamet, *Ne statuas illis hoc peccatum.*

Romanæ eloquentiæ parens, ac Princeps Tullius
cum Q. Ligarium, quod à Pompeij partibus seces-
set in senatu coram Iulio Cæsare dictatore desin-
deret, his apud eum verbis adulando usus est, *Nihil
obliuisci soles, nisi iniurias.* Id est, ipsa te trophæa & de
hostibus partæ victoriæ admirabilem ac celeberrimam
reddunt, verum q; inimicis ignoscas, iniurias
obliuiscaris, cum omnib. in gratiam redeas, longe
te admirabiliorem ac prope Deum constituis.
Quando potiori iure de Christianorum Cæsare
Martyrum Principe Stephano eadem vsurpemus,
nihil obliuisci soles Stephane, nisi iniurias; inimicis igno-
scis, pro persecuentibus Deo supplicas, vitam
postu-

postulas, qui mortem tibi inferre satagunt. O caritatem penitus admirabilem!

Immortali præconio Aristidem celebrat Græcia; hic namq; cum ab ingrata patria in exilium actus & iam vrbe egressus esset, genibus in terram prostratis, oculisque ad cælum erectis deos orauit, ne iniuriam hanc in se innocuū admissam digna castigatione punirent, aut quid grauius in patriam statuerent. Noli in tuorum laudibus enarrandis insanire ò Græcia: Stephanus namque noster amplius quid hodie præstat: cum enim non modo ad exilium, verum ad mortem crudelissimam condemnatus esset, iam in extremo vitæ constitutus, in genua procubuit, oculos, & cor ad Deum sustulit, ei supplicat, inimicis vt ignoscat, iniuriarumq; admissarum memoriam deponat. Orat enim, *Ne statuas illis hoc peccatum.*

Aristidis
in patriam
amor.

Eia agite Christiani, vt tandem aliquando optatum portum ingrediamur. hæc omnia in vestram vtilitatē conuertite, discite obsecro è morte & Martyrio protomartyris huius, qua ad beatitudinem perueniatur via: alij per crucem, per gladium alij, hic per saxa eòdem pertigit. Vera igitur Apostolorum sententia est, *Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cælorum.* Discite, inquam, à generoso illo pugile, à strenuo illo athleta, charitate & clementia pleno, inimicos vestros diligere, ignoscere, qui vos ad iracundiam prouocauerunt, iniuriarum memoriam deponere, lites & rixas euitare, vindictamq; non sitire. Hac namq; ratione datur cælos videre apertos, & ad beatitudinem pertingitur.

Tu vero ò gloriose & coronate Stephane, Martyrum Patriarcha, Ecclesiæ primogenite, prime fidei nostræ testis, fideiū honor, gratiam nobis impetra-

tra-

62 INFEST. S. STEPH. PROTOMART.
tra, tuo vt exemplo & imitatione ad fortiter
gendum & patiendum incitemur, & ad virtutum
tuarum prototypum vitam nostram componamus,
tu inquã generose Christi athleta, sacri Martiris
pulle, fidelium Hercules, Heroum illorum
victorum gloria, infracte, immobilis, inuincibilis
qui in fortitudinis signum, palmam, strenuam
victoriãq; symbolum, (quo enim illa plus opponitur
eo, & sublimius erigitur:) manibus, & coronam
capite gestas, quod & nomine tuo præferat
signum scilicet imperij, domini, ac regie potestatis,
in signum, inquam, esse te Martyrum omnium
caput ac regem. Tu itaque Deo dilecte, præcariis
Sanctis priuilegijs donate, eo quod cælos apertos
videris, quod nulli vnquam sanctorum datum
est, succurre, auxiliare nobis, nostrumq; patrocinium
suscipe. Precibus tuis impetra, vt quemadmodum
Iudæorum ferocientium saxa confregisti, tuã
superasti, nos quoq; per persecutionem mundi
huius saxa cum victoria transeamus: & vitam
& sanguinem amisisti: ita nos, quantum
vtrumque commode præstare nequeamus, carnalis
saltem appetitus sanguinem, concupiscentiarum
robur amittamus. Deniq; quemadmodum inimicis
iniuriam remisisti, proq; ijs Domino supplicasti,
qui te ad supplicium trahebant, ita nos amemus,
qui nos odio persequuntur, benefaciamus
malefacientibus, omnesque iniurias, tua potissimum
imitatione, obliuionis tumultu condamnes,
vt post crudele vitæ huius Martyriũ, cælos quoque
ad tui exemplum apertos videre, & tecum celesti
beatitudine perfrui mereamur: cuius nos participes
efficiat, qui viuit & regnat cum Deo Patre
& Spiritu sancto, Redemptor noster Christus, Amen.